



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

IX. Beatam dicit Virginem Obed; quia est mundi Gaudium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

9. Beatam dicit Virginem Obed; quia est mundi Gaudium.

Obed antequam nasceretur trium erat expectatio Sanctorum, *Patris Bero*, ut maturæ arboris fructus, nam in diebus suis procefferat. *Matris Ruth*, ut peregrinæ exulis geminique matrimonij solatium. *Nazmi Avie*, veluti à mortuis resuscitatus filium ejus Mahalon. Horum Obed explevit desideria. Ita Virgo S. desiderium fuit Patris, quia per illam sterilitatis amovit notam. *Damasc. Orat. de B.V.* Quanquam autem de ortu Virginis singula certarint sæcula, non tamen illam natam, initia, aut media, sed fines videre & suscipere sæculorum. Et tunc poterat mundus concinere *Psal. 91. Senectus mea in misericordia uberi*. Desiderat mundo Virgo. Inde *S. Damasc. de dormit. B.V.* advertit idem sonare noimen Ioachim quod fulcabit, seu, firmabit. Nomen autem Annæ esse gratiam, seu misericordiam. *Et subdit. Quo indicatum est eos genituros esse Filiam per quam Deus misericordiam suscitaret, & gratiam confirmaret.* Natus Obed non uni fuit exultatio *Ruth 4. Dedit Dominus Ruth ut conciperet & pareret filium, dixeruntque mulieres ad Noëmi. Benedictus Dominus qui non est passus ut deficeret Successor familie tue* Et rursus. *Vicinæ autem mulieres congratulantes ei dixerunt. Natus est filius Noëmi*

De B.V. canit *Geometra hymno 4. de B.V.* Utrumque: superum & inferum, sive terrestrem mundum, in cunis Virgo replet gaudijs. Vel ut *Ecclesiæ*. Profusus gaudijs terrarum mundus exultat. E contra verò desperant hostes loci adventu arcæ in castra Philistei desperabant *1. Reg. 4. dicentes: Væ nobis, non enim tanta fuit exultatio heri, & nudius tertius, væ nobis.* Ruth mulier fuit virtutis *Ruth 3. Scit omnis populus qui habitat intra portas urbis mee, mulierem te esse virtutis* Fides Ruth ex eo patet. Quia ut *Lyra in c. 4. Ruth docet: Certum est Ruth fuisse diviti marito copulatam, Elimelech enim Pater Mahalon Princeps inter civis suos censebatur, non dubitavit tamen illa omnibus relictis ad populum Dei transire, pauperi ac desolatæ servire, in campo spicas colligere.* Talis Obedi Maiores Virginis Parentes. *Hieron. serm. de B.V.* Vita Ioachim & Annæ simplex & recta apud Deum & homines irreprehensibilis erat, & pia. Ex virtute videtur natus Obed, quia ex Patre sexagenario, ut docet *Lyra.* Ex virtute Virgo. *Beda hinc in Vigil. Bapt. Annæ partus non est ablatus, sed per sterilitatem dilatus, donec transiret tempus carnis, & cupiditatis, castissimusque uterus Virgini concipiendæ pararetur.* *Damasc. orat. de Virg. Nativ.* Ecce immaculati, Immaculatam Virginitatem carne & spiritu, & Spem mundi generant.

Accione

Accinuerunt ipsi Ruth Matronæ Bethleemiticæ 4. Ruth. *Benedictus Dominus quod habes qui consoletur animam tuam, & enutrias senectutem.* Quid verò S. Virgo? Noëmi rogat mulieres Bethleem: *Nolite me vocare pulchra, sed Mara, hoc est, Amara, quia me amaritudine replevit.* Omnipotens, egressa est manus Domini contra me. At Virgo sub cruce nonnè amaroris Mare? sed de hoc aliàs egimus copiosè. Noëmi parvulum Obed Ruth 4. *posuit in sinu suo, & nutricis ac gerule fungebatur officio.* Nec aliter Virgo suos clientes, sulcipit manibus, excipit sinu, æterna charitate nutrit.

io. Beatam dicit Virginem Jesse.

Quia est Entis Neptis.

Multùm eminet inter Patriarchas Isai, seu Jesse & Haus Abulensi. Nomen Jesse Hieronymo lib. 11. in Isai. 40. idem quod ens sive existens, & in beatum dicit conceptum Virginis. Isai. 40. *Omnes gentes sic sunt coram eo, quasi non sint, & quasi nihilum & inane reputatae sunt ei.* Quæ verba S. Hieron. de superbia & idololatriæ intelligit. Esther verò peccatorem cap. 14. vocat non ens, cum ait. *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt.* At Virgo S. Entis Neptis, nullo itaque modo peccatrix. Isai. 11. *Egredietur Virga de radice Jesse, & Flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Hieron. lib. 4. in Isai. 11. per Virgam Jesseam S. Virginem, per Florem Messiam vult intelligi. Felix hæc Virgâ & Flore Jesse! Isai. ibid. *In die illa radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Lxx. legunt. *Exsurgat regere gentes, in eum gentes sperabunt.* De radice Jesse ait Propheta Isai 11. *Erit sepulchrum ejus gloriosum.* Lxx. *Erit requies ejus honor.*

ii. Beatam dicit Virginem Rex David.

Quia ab originali culpa libera.

Et factis & verbis Beatam suam Filiam Mariam David ab antiquo prædicit, & quidem adhuc ipse Juvenis Conceptum ejus maculæ expertem futurum in hunc modum depinxit. Prodiêrat gygas quidam 1. Reg. 17. cum singulis Israelitarum certaturus, hunc David lapillo e funda jacto in capite percussum ad terram dejecit. Gygantis speciem dæmon non semel assumit, sed præcipuè cum teste S. Athanas. in vita S. Anton. M. Antonio se videndum præbuit, qui evolantes in cælum animas detrucebat in imam terram. Vicit illum David, quia ut ait S. August. in Genes. hom. 46. *Puero aliquid Divinitatis inerat. Vicit dæmonem*

X

Virgo